

12

1703, 7

7

28.

FACULTATIS JURIDICÆ h. t.
DECANI,
JO. BERNH. Griesen / D.
CONSIL. SAX. ISENAC. AULICI ET CONSIST.
nec non PROFESSORIS PUBL.

PROGRAMMA INAUGURALE
De jurisjurandi natura.

J E N A E,
Literis WERTHERIANIS.

Joh. Bas. Grifne



Ulia verba propter res sunt inventa, atque
has, quæ illis denotantur, non alias accipi-
mus ex nominis jurisjurandi notatione,
proxime allata procul dubio cognoscimus,
quid per juramentum intelligi velimus, &
simil facilius significatum definiri poterit;
quamvis haut pauca adhuc sint impedimento, & quæ rem
reddunt difficilem & contentiosam, maxime cum non sit
incognitū, quosdam ægre ferre, jusjurandum juramentum
appellari, & licet juramenti & jurisjurandi appellations
promiscue usurpenter vulgo, has distinguendas tamen ex
usu juris, ita, ut juramentum dicatur quodvis aliud super
re non controversa interpositum, jusjurandum adhibi-
tum super re controversa, eo quod hoc decidantur
cause merita, nempe quid juris sit, hoc est, ut quis juret
de jure suo, quod commune est jurjurando de quavis re
controversa interposito, at de litigiosa præterea etiam
quod in jure apud pretorem, vel in judicio apud judicem
juretur. Quam sententiam ex eo confirmant, quod sub-
titulo Digestorum de jurejurando nusquam juramentum,
sed semper jusjurandum dicatur juramentum illud, de
quo sub titulo illo tractatur, quod ita Jcti veteres pro-
prietatis vocabulorum studiosi accurate observarint.

X 2

Et

Et ut ex constitutionibus Imperatorum sub titulo *Cod. de reb. cred.* positis apparet, etiam Imperatores ipsi, excepto Justiniano nostro, qui in *leg. pen. Cod. de reb. cred.* ea confundat, quod idem postea à Pontificibus factum sit. Hanc juxta opinionem omne jusjurandum juramentum est, non juramentum omne jusjurandum. Vultej. *Discept. Sebol. c. 7.* Hæc mens non est hujus unius, sed multorum Jureconsultorum; à qua sententia satis probabili non deficerem, nisi ex Digestis contrarium appareret. Paulus siquidem Jureconsultus qui *l. 2. l. 6. l. 14. l. 17. l. 22. l. 26. l. 35. & l. 38. ff. de jurej.* toties jurisjurandi voce utitur; idem *l. 25. §. pen. ff. de prob.* juramento promiscue & jurisjurando utitur. Idem in Codice non tantum à Justiniano Imperatore nostro in *leg. pen. Cod. de reb. cred.* est factum; sed quod in rubrica codice de *jurej. propt. causam.* vocat jusjurandum *Justinianus*, in *l. 1. dict. tit. appellat* juramentum. Quæ opinio erit sequenda, adeoque perinde erit, sive *juramentum*, sive *jusjurandum* appelles. Præterea ut constet, quæ sub definito continantur, omitendum non est, jure civili juramentum non considerari, nisi ad eum effectum, quatenus controversia inter duos pluresve eo deciduntur, quod leges tam Digestorum, quam Codicis, in quibus *decidendi* verbum occurrit, clare evincunt, hac de causa *JCTus in l. 1 ff. de jurej.* jurisjurandi religione decidi controversias refert. Sed nec in eo adhuc convenient: Sunt enim, qui de *re quavis* controversa, sive in *jus*, sive in *judicium* deducta sit, sive non sit, illud intelligunt, alii vero non de *quavis* controversia, sed solum de *ea, quæ in jus sive judicium deducta*, hoc accipi debere contendunt, ubi tum item esse volunt, cum in *jus vel*

vel judicium deuentum est. Antequam vero eō deveniatur, controversiam potius, quam litem appellari. Nam lis omnis controversia est, non vicissim Varr. lib. 6. lat. ling. Cum nunc litium expediendarum causā jurisjurandi religio introducta sit, & cum autoritate judicis controversiæ decidantur, necesse est, eas in jure vel in judicio versari. Hi præterea obseruant, in legibus semper mentionem fieri *litis seu litigatorum*, nunquam vero *controversia*, videlicet absolute, sed cum ejusmodi aliqua adjectione, ex qua appareat, non intelligi quamvis promiscue, sed eam, quæ in jure seu judicio jam versatur. Sic in l. 1. ff. de jurej. dicitur, quod vel ex pactione ipsorum litigatorum, vel ex autoritate judicis decidantur controversiæ. Quæ præter edictum prætoris; si is, cum quo agitur, conditione delata juraverit l. 3. ff. de jurej. etiam omnes leges sub hoc tit. de jurej. de juramento circa rem in judicium deductam loquentes corroborant, excepto principio l. 17. & l. 27. §. 10. ff. de jurej. quod circa rem, non quidem litigiosam, attamen controversam interponi solet. Vult, d. loco. Ad hoc juramentum videntur respexisse Doctores, dum juramentum distinxerunt in *voluntarium, necessarium & judiciale*. Voluntarium Græci interpres faciunt non id, quod extra judicium ex conventione defertur. l. 17. ff. de jurej. Sed quod in judicio alter litigatorum alteri defert l. 1. ff. de jurej. ita dictum cum respectu ejus, qui defert, tum illius, qui præstat. Necessarium vero statuunt, quod refertur, quia necessario præstandum l. pen. ff. de jurej. judiciale vero, quod judex defert l. 31. ff. de jurej. Nec enim locus solus facit judiciale, alioqui omne, quod in judicio defertur & de quo sub illo tit. ff. de jurej. agitur, ita appellaretur,

Si djudex ipse, qui defert, à quo, quæ profiscuntur, judicia
lia appellantur arg. S. i. Inſt. de diu. ſtip. l. 5. ff. de V. O.
Sed quia per judicem, unde tamen denominatio judicialis
desumitur, non possit intelligi ſtricte ita dictus, ſed etiam
alius magistratus, cum & in jure deferantur: præterea cum
referens juramentum non ſit autor novi juramenti & ob id
non possit conſtituere novam juramenti ſpeciem, ſcil. ne-
ceſſarium, melius abſtinuiffent & retinuiffent Gaji diſi-
nem in l. 1. ff. de jurej. ſcil. quod juramentum de re con-
troverſa ſit vel ex conventione ipsorum litigatorum, vel ex
autoritate judicis; adeoque à cauſa efficiente eſſet de-
ſumta diſiō, quorum illud diceretur voluntarium, hoc
vero judicialē. Similiter hodie hoc juramentum ſed alio
ſenu in voluntarium, judicialē & neceſſarium diſiditur.
Nam voluntarium eſt, quod à mera voluntate partium,
extra judicium delatum. At judicialē, quod licet itidem
voluntate partium fiat, in judicio tamen, judice appro-
bante defertur; Neceſſarium autem vocatur, quod ex ne-
ceſſitate ob defectum probationis datur. Hanc vero ex-
poſitionem ſi admittamus, conſtat, partim à loco, par-
tim à cauſa efficiente, à neceſſitate partim diſiōne,
deſumtam. Sed cum in allatis diſiōnibus, diſiō non
ſint adæquata membra, & in jure civili ſint adhuc jurame-
nta, quæ quidem non niſi in litibus locum habent, li-
tes tamen iis non decidunt, ſed vel proceſſus judicio-
rum, vel quæſtio, quæ in judicium deducta eſt & merita
cauſæ continent, informentur, ut juramentum calumniæ,
juramentum teſtium, juramentum in item, hac diſiōne
non ſunt contenta, præterea quia jure pontificio introdu-
cta juramentum malitiæ purgationis ſuper taxa expenſa-
rum

rum & liquidationis dandorum & respondendorum, &
 generalissime juramentum quodvis, quod in judicio extra
 judicium, de re controversa & non controversa interponi
 potest, adeoque juramentum, quod jure civili valde angu-
 stum erat, jure pontificio factum sit latissimum, & quod ju-
 re civili non nisi litibus accommodabatur, id jure Ponti-
 ficio applicetur negotiis omnibus, ut his, quæ non va-
 lent, robur addant, illis autem, quæ valent, confirmatio-
 nem, adeo ut juramenta omnia, quæ citra dispendium fa-
 lutis æternæ servari possunt, serventur, dederunt operam,
 ut juramenta omnia, quatenus ejus fieri potest, ad certa-
 genera redigantur & suo quæque loco collocentur. Hinc
 iusjurandum unum de causa non controversa, aliud de
 causa controversa interponi afferunt. Et hæc illis vide-
 tur summa juramenti divisio. Sane illam præferendam
 distributioni, qua judiciale unum, aliud extrajudiciale dici-
 tur, certum esse videtur. De re enim non controversa
 interpositum judiciale non est, quia ad judiciorum con-
 stitutionem aut meritorum approbationem nihil facit,
 atque adeo neque extra judiciale dicetur, eo quod priva-
 tio præsupponat habitum. Neque est diffitendum, vix
 aut ne vix quidem reperiri juramentum, quod non sit vel
 de negocio controverso vel non controverso, nihilomi-
 nus ramen: cum illa divisio non omnibus adeo cognita,
 cum quid in judicio fiat, de eo non omnes sint solliciti,
 ideoque præ reliquis ea, quæ & à Jureconsultis & aliis
 recepta est divisio, defendenda; cum enim vel aliquid sin-
 gulari cum religione promittitur, vel via aperitur ad de-
 cidendum aliquid factum illiquidum, omne juramentum
 est vel *affertorium*, quo simpliciter rei veritas confirma-
 tur.

tur aut præsentis aut præteritæ ; vel *promissorium* de re futura, quod & vim assertoriæ habet, de præsenti animi consilio & vim obligationis, ex promissione & pollicitatione in futurum ; de mixto enim, cum contineatur sub simplici, non est necesse laborare. Videndum itaque nunc est, quæ sit jurisjurandi natura, quæ non uni vel alteri soli, neque uni primario, alteri vero secundario, sed quæ utriusque speciei convenientia & sic definitio competit omnibus sub definito contentis æqualiter. Per *naturam* vero jurisjurandi intelligimus aliud nihil, quam ipsam ejus *essentiam*; sicuti solet definitio describi, quod sit oratio *naturam* alicujus explicans. Si in quadam re definienda Doctores inter se haut conveniunt & varias definitiones excogitant, accidit jurisjurandi expositioni. Communiter vero hanc vel huic similem afferunt, quod sit *assertio rei legitima*, in cuius majorem fidem & confirmationem Deus ipse testis vocatur & jurans ultero se obligat ad poenas & exitium, si fallat. Quod alii sic exprimunt; est *affirratio de re possibili & licita*, facta cum invocatione nominis divini, qua petimus, ut sit testis dictorum & puniat fallentes : & nos ipso teste, ad poenam obligamus, secundum ipsius comminationem, quasi argentes eum mendaci, si fallentes non puniat. Hi faciunt tres partes præcipuas juramenti, *Factio* seu recitationem assertionemque negotii, de quo ambigitur, *Enarratio* seu testimonium Dei fallere nescientis, & *Imprægno* seu imprecationem, qua se offert & obligat jurans ad poenam, si sciens fallat. Sed Bachovius ad Wessentib. tit. ff. de jurej. n. 2, quem Hahn. ibidem approbat, animadvertisit harum & similium definitionum vitia. Est quidem enunciatio religiosa sub obtestatione divini numinis

minis sive nominis, ut Deus vero puniat fallentem, non est de essentia, neque continetur in formula, quæ à Wensem. n. 6. est allata ex Virgilio 12. Aen.

*Esto nunc testis Sol, & bac mibi terra precanti,
Est pater omnipotens: & tu Saturnia Juno,*

Item:

*Audiat hac genitor, qui fædera fulmine sancit:
Tango aras, mediosque ignes & numina testor.*

Formula vero, qua jurans sibi male precabatur, si fecellisset, verbis illis solennibus: si sciens fallo, ita me Diespiter, salva urbe arceque bonis ejiciat, ut ego hunc lapidem; (Silicem enim lapidem manu tenens imprecabatur, quem postea, qua poterat vi, projiciebat,) probat quidem, quod juramento possit addi, sicut etiam hodie similis formula in juramentis in casum, si fallat, solet adjici, minimum in prævia admonitione in detestationem perjurii exponi, interim tamen imprecatio illa juramentum non facit, invocatio obtestatioque Dei vero semper est de essentia proprie dicti juramenti. Qui itaque ex ejusmodi formulæ elicere volunt, quod juramentum sit ejusmodi assertio, qua divina misericordia renunciamus, aut divinam poenam in nos depositimus, nisi verum dicamus, Juramentum cum perjurio omnino confundunt. Si enim verum non dicimus, & ob id divinæ vindictæ nos subjicimus, non tam juramus, quam pejeramus, & perjurium non juramentum sequitur poena. Neque jurantem Deus propitius non adjuvat, sed pejerantem. Illa vero juramenti definitio, quod juramentum sit *Appellatio Numinis Divini religiosa in supplementum forte fidei dubie, aut securitatis gratia*

) ()
pre-

presbita, quæ sancte & religiose facta illud habeat proprium, impie aut temere facta iratum, eodem cum prioribus non duntaxat laborat vitio, sed insuper divisioni, quam definitioni est similior, quod regulæ bona definitionis ramen non patiuntur. Plurimis, etiam Grotio, placet Ciceronis, quam habet l. 3. off definitio, scilicet affirmatio religiosa, qui tamen non minus ejus quoque sentiunt incommoda. Dum enim dantur juramenta, ubi non obtinet affirmatio, sed negatio, aliqui emendant eandem, & juramentum describunt per affirmationem & negationem, qui tamen non desinunt juramentum in tota sua latitudine, sed per divisionem illud potius declarant. Alii vero affirmationem accipiunt late, & sic eam admitti posse arbitrantur; quia is etiam, qui negat, affirmat id, quod negat non esse, sed hac ratione omnem negationem esse virtute affirmationem fatentur, an vero hoc natura rei admittat, valde dubito. Forte an commodius defendi posset, vel quod verbo affirmationis negatio quoque in jure contineri solet, ut quando pacta vel stipulationes aliae dicuntur esse dandi, aliæ faciendi, negationes, quæ sunt de non dando & non faciendo comprehenduntur Gloss. & DD. in l. 2. ff. d. V. Obl. vel potius, quia juramentum revera ab eo, super quod juratur, quod vel in affirmatione vel in negatione consistit, diversum, & nihil aliud est, quam ipsa divini Numinis attestatio, per quam jurans semper affirmat, rem ita, uti simpliciter antea enunciaverat, sive affirmando sive negando, se habere. Semper enim accessorium est alterius, aut enim assertionem facti ad jus applicandi confirmare, veluti juramentum testimoniū, jusjurandum in item & similia, aut firmamentum

tum juris & obligationis præstare debet, & conventionibus, sive in faciendo sive non faciendo consistant, adjicitur. Hanc Ciceronis itaque definitionem non habere ut aliorum superflua neq; etiam defectum, si, uti factum, *affirmatio* exponatur, constat; nihilominus tamen, cum nec ipse terminus *affirmatio*, neque etiam ejusdem expositio arrideat omnibus, præferrem definitionem, quæ legitur in tractatu de juramenti promissorii obligatione. Rober. Sandersoni *Prelect. 1. n. 2.* quod juramentum sit *actus religiosus*, in quo ad *confirmandam rem dubiam Deus testis invocatur*. Quod juramentum sit *actus religiosus*, pluribus defendit Osiander ad Grot. *l. 2. c. 13. tb. 1.* & constat hoc ex autoritate Scripturæ Deut. 6. v. 13, ubi Moses populum alloquitur, *Dominum Deum tuum timebis, & ipsi servies, & per nomen ejus jurabis*, & ex consensu omnium populorum, apud quos sanctissima semper est habita juramenti religio, usque adeo, ut illud vocabulo sit expressum, ut alibi ostensum. Quod etiam *Deus invocetur testis*, inde constat, quod in omni juramento proprie & formaliter tali Dei testimonium adhibeatur. Quod autem *res dubia confirmetur*. Continetur in illis materia & finis juramenti. Objectum scilicet est res dubia, cuius certitudo ita pendet ex fide dicentis, ut non possit ulla ratione commode investigari. Hinc asseverationes divinæ juramenta vera & formalia non fuerunt, quæ præsupponunt aliquod dictum fallibile & quod capax sit alterius confirmationis. Quod de Deo enunciari non potest, cuius dicta non nisi manifestam infallibilemque veritatem continere possunt. Franzk. *lib. 2. resol. 1. n. 2. & seq.* Quod præterea omnia alia scibilia excludantur, & quænam illa sint, tradit Sanderson

der son. *Supr. dict. loc.* Finis vero juramenti est *confirmatio* rei dubia. Cum enim illæ incertæ essent & dubia ob ea- rum contingentiam, nec possent probari, nisi per testes, testimonium vero humanum, tam ob defectum scientie, quam conscientie, esset valde infirmum, necesse fuit re- currere ad testimonium Dei. Recte itaque Franzk. *dict. loc.* appellat confirmationem finem omnis juramenti. Quod vero Prætor velit servare juramenta facit, eorum- æquitas, de qua latius acturus est. Clarissimus utriusque Juris Candidatus

DN. JOHANNES BASILIUS Güpner /

Nascendo in dias luminis auras prodiit, & hunc commu- nem hausit spiritum Vinariae die XXIV. Junii A. O. R. Cl^o DC LXXI. Patrem fortitus est Virum Nobilissimum & Consultissimum Dominum BASILIJ GÜPNERUM, Præfecturarum, quæ Rosla & Gebstdiaæ sunt, Directorem meritissimum; matrem verò MARGARETHAM SABI- NAM, Viri cum in vivis esset, perquam Strenui, Domini NICOLAI WAGNERI, Regiæ Majestatis Svedicæ Capi- tanei & Commandantis bellici filiam, fœminam pietatis & modestiae laude nulli sexus sequioris facile postponen- dam. Hi cum eximiam indolis vim in Nato deprehen- derent, tanquam fertilem agrum diligenter colendum, putarunt, nec permitendum temerè, qui sentibus obdu- ceretur & vepretis, sed optimarum potius artium & vir- tutum reciperet sementem. Maturè itaque eum tamen domesticorum, quam publicorum Præceptorum commi- serunt

serunt fidei, qui literis pariter & orthodoxa fide animata
imbuerent ejus. Pietatis & sapientiae rudimenta hausit
ex ore beati Domini M. STEINII, Rectoris quondam de
Schola Vinariensi benemerentissimi. Hinc optimorum
Parentum iussu in Gymnasium, quod Roslebii floruit, se
contulit, studia, quæ non sine exigua industria laude coe-
perat, persecuturus. Sed cœnobio Roslebiensi in favil-
las & cineres redacto, illustre Gymnasium Portense adiit,
ductu & auspicio Rectoris & Professoris Domini M. LAU-
RENTII, cuius egregia in rem literariam & studiosam
juventutem extabant merita, mores & studia sua in ma-
jus promoturus. Neque enim consultum arbitratus est,
cruda ad acroases Academicas propellere studia, sed tan-
tisper his immorandum literis duxit, dum solido jacto fun-
damento ad altiora subsellia dignus existimaretur. Non
leviter ergò his tinctus literis anno 1690. superioris feculi
Rector Magnifico Domino GEORGIO WOLFGAN-
GO WEDELIO, Medicinæ Doctore celeberrimo, Co-
mite Palatino Cæsareo, Consiliario & Archiatro Ducali
Saxonico gravissimo ac Theoretices Professore Publico
in Academiam nostram venit & in Studiosorum relatus
fuit numerum. Hic postquam per aliquod temporis
spacium contubernio pariter & informatione privatissima
Domini M. CHRISTIANI MARTINI GOLDELI usus
erat, insigni Philosophiae amore ductus, universum hujus
cursum à Viro plurimum Reverendo atque Excellentissi-
mo Domino JOHANNE ANDREA SCHMIDIO, tum
apud nos Logices & Metaphysics, nunc verò S. Theolo-
gia Professore Helmstediensi celeberrimo prona hausit
aure; non ignorans, se sine hac duce difficilius ad Jurispru-

)() 3 den-

dentiam moliturum aditum. Verum enim judicabat il-
lud, sine cortice natare aggredientibus similes esse, qui
Philosophia parum subnixi Jurisprudentia tentant Ocea-
num. His igitur initiatus sacris sancta demum veneran-
dæ Justitiae ingressus est adyta, & à celeberrimorum Juris
Mystrarum ore avide pependit, non inde avellendus. Se-
dulò enim & diligenter sectatus est lectiones Virorum
Nobilissimorum & Excellentissimorum *nōrū vñ c̄r̄ d̄c̄o*
Domini JOHANNIS CHRISTOPHORI HARTUNGII,
Philosophia & Juris Utriusque Doctoris, quas in Institu-
tiones Justinianae & Compendium Lauterbachianum
adornarat; Domini PETRI MÜLLERI, tum Professoris
postea Cancellarii Rutheni celeberrimi, quas in Syntagma
Struvianum instituerat; Domini SIMONIS, JCTi & Pro-
fessoris Hallensis, quas in Jus Feudale aperuerat; Domini
MÜHLFORTI, Consiliarii Saxo-Vinariensis, qui tum
Juris explanabat processum; nec non Viri Illustris Domini
GEORGII ADAMI STRUVII, Consiliarii Soxonici
Intimi & Præsidis optime meriti, qui Desselii eremata
Juris Canonici illustrabat. Ex his cum non contemnen-
dos fecisset profectus, ingens animum incessit libido ex-
teras etiam visitandi Academias, quibus eximia Docto-
rum eruditio decus & famam conciliaverat, ut, quæ in hoc
studiorum genere deesse videbantur, sibi acquireret.
Voti igitur sui compos redditus, patrios repetit lares, &
pro eâ, quæ est dexteritate, praxi forensi manum admovit
suam. Evidem potuisse in numerum Advocatorum
Ordinariorum Illustris Saxo-Martisburgensis Regiminis
cooptari; satius tamen duxit, prius per Præfecturas, quæ
Alstedii, Grossenbrembachii, Gordislebia & Roslæ sunt,
ali-

aliquamdiu vires periclitari suas, quam intempestivè illi
 subjicere muneri humeros. Quo factum, ut, postquam singularis ejus dexteritas hac ratione aliis innotuerat, præter lapsu quadriennio inde à Viro Consultissimo & Amplissimo Domino JOHANNE EMANUELE RUDOLPHI, Præfecto Leuchtenburg. optimè merito avocaretur, & paucos post menses à Serenissimo Principe ac Domino, Domino FRIDERICO, Duce Saxoniae, Juliæ, Cliviæ & Montium &c. &c. Domino nostro Clementissimo, Commissarius Leuchtenburg. & Orlamund. clementissime constituetur. Quo munere nunc per sex fere annos non sine fide & industria functus est & adhuc fungitur. Quoniam verò summos in utroque Jure honores è re sua fore judicavit, non ita pridem à Collegio nostro pro sua, qua est modestia petiti & contendit, in Candidatorum ut recipetur numerum. Habuit nos hac in re non difficiles, qui petitis ejus honestissimis assentiremur. Laudabiliter igitur exantatis consuetis examinibus, in quibus voluntatem Dn. Exquiritum emensus est, more recepto cras Deo annuente hora X antemeridiana lectionem, quam vocant cursoram in l. 8. C. de judic. Facultatis consensu auspicabitur. Huic Panegyri ut Magnificus Dominus Pro-Rector, Magnificus Dominus Pro-Rector designatus, ceterique Academiæ Proceres, omnes horum studiorum Fautores atque Cultores frequentes intersint, officiosè & peramanter rogito. P. P. d. XV. Jul. M. DCC. III.

(L. S.)

ULB Halle
006 366 333

3



vol 18



1903,7

28.

FACULTATIS JURIDICÆ h. t.
DECANI,
JO. BERNH. Griesen / D.
CONSIL. SAX. ISENAC. AULICI ET CONSIST.
nec non PROFESSORIS PUBL.
PROGRAMMA INAUGURALE
De jurisjurandi natura.

JENAE,
Literis WERTHERIANIS.

Joh. Bas. Grifne